

DE CLAUSULA AUREA IN CONTRACTIBUS DICTAMEN (*) (EXCERPTA)

SPECIES FACTI

1. Causa vertitur inter Z. Z. et Superiorem conventus de N. N., qui mutuo accepit quadringentos nummos aureos turcicos a Z. Z. subsignavitque sequentem syngrapham die 5 junii 1937: "400 livres Turques Or. Je m'engage à payer, le 5 juin 1938, à l'ordre de Z. Z. la somme ci-dessus, 400 livres Turques Or, ou sa contravaleur en monnaie syrienne papier, ou livres sterling, au cours du change du jour du paiement." Huic autem contractui eodem die sequens adjectum est pactum: "Je m'engage à payer à Z. Z. le montant de l'effet de 400 livres Turques Or, 5 juin 1937, à la échéance, *en or comme il m'a été payé et quels que puissent être les arrêts du Gouvernement* concernant l'or."

2. Die solutionis instante, Z. Z. expetivit suum aes; at debitor sua vice prorogationem solutionis, foenoris pretio determinato, ad unum annum expostulavit. Pro foenore statutae sunt quinque centenae partes sortis (5 %), solvendae eodem modo ac sors. Mutuus quater ad annum prorogatus est ad petitionem debitoris.

3. Die 26 januarii 1940 Altus Commisariatus Galliae, ut aiunt, pro Syria et Libano, ubi contractus initus fuit, edidit decretum, quo vetabantur sub nullitatis poena clausulae adjectae contractibus civilibus ac commercialibus cujuslibet naturae de solutione nummis aureis vel in alia specie aureae aequivalenti. Quod vero attinebat ad contractus jam initos, in secundo articulo decreti haec statuebantur: "Au moins qu'il n'en soit plus favorablement disposé au profit du débiteur par des textes législatifs particuliers ou la convention des parties, les engagements contractés an-

(*) Para iniciar la publicación de dictámenes que anunciábamos en el editorial de nuestro número anterior hemos escogido el presente voto, entregado en el estudio de la Sagrada Rota Romana por su autor y algo modificado en orden a su publicación. Nos ha parecido mejor respetar la lengua original.

térieurement au présent arrêté en monnaie d'or, seront acquittés en monnaie légale au cours d'achat de l'or au jour du paiement sur le marché mondial tel qu'il sera publié par le Haut Commissariat."

4. Die maji 1941, creditor solutiones mutui quater prorrogati poposcit ad tenorem syngraphae. Superior autem conventus respondit decretum Gubernii pro se laborare ideoque se nummos aureos non redditurum sed eorum pretium in moneta chartacea syriaca in mensura a decretum Gubernii determinata.

5. Inutiliter cassis nonnullis viis ad suum aes recuperandum, debitor sua vice ad se liberandum, die 14 aprilis 1942, media publica oblatione reali, transmissit ad creditorem summam 6.483 in libellis chartaceis, quae aequivalebant, juxta legale cambium, libellis aureis 400; *reapse* autem non excedebant libellas aureas 212. Creditor supradictam summam accepit, sibi reservans omnia jura hoc pacto: "Je reserve tous les droits que je reclame au sujet de cette affaire, auprès des Hautes Autorités religieuses contre le Couvent de N. N."

6. Volventibus annis et rebus, res delata est ad Sacram Romanam Rotam. Quaeritur: *An et quaenam pecuniae summa, in qua nummorum specie et quo titulo debeatur a Superiore conventus N. N. d.no Z. Z.*

I N J U R E

7. "Mutui datio (ita dictum quia "ex meo fit tuum")—ut ait Justinianus—in iis rebus consistit, quae pondere, numero mensurae constant, veluti vino, oleo, frumento, pecunia numerata..., quae res in hoc dantur ut accipientium fiant et quoniam nobis non eadem res, sed aliae ejusdem naturae et qualitatis reddantur." Ideoque res data in mutuum *in dominium* transit mutuatarii, qui non obligatur ad *eamdem* rem restituendam, cum ipsi detur ut ea utatur et usus pareat, sed ei *similem*.

8. Maximi momenti est ad determinandam pecuniae summam reddendam prae oculis habere mutationes, quas ipsa subire potuit inter dationem mutui et solutionem. Auctores antiqui tantum loquuntur de mutatione intrinseca et extrinseca. Tamen non eodem modo omnes hanc divisionem intelligunt. D'ANNIBALE hoc pacto eam explicat: "Nam eorum (nummorum) potestas est vel intrinseca, seu naturalis; vel extrinseca, seu impositicia: illa ex materia, haec ex lege aestimatur. Intrinseca augetur,

minuitur... ex metallorum *copia vel inopia*; ideoque... variat pro tempore, ac locis: extrinseca minuitur, augetur sola Principis voluntate; cum, nempe, veterum nummorum valori aliquid detrahitur, aut superadditur, solo nutu ejus, qui temp. administrat; vel nummis eodem pondere sed ex deteriori materia percussis, idem ac ceteris imponitur" (*Summa Theol. mor.*, pars II, n. 107). REIFFENSTUEL vero haec tradit: "Intrinseca est (mutatio), quando ipsa materia monetae mutatur, ita ut eidem in pondere, vel detrahatur, vel deterior materia admisceatur... Extrinseca vero est, si manente eadem bonitate materiae, valor et aestimatio extrinseca mutetur, ita ut thalerus prius duobus florenis constans, principis dispositione quatuor vel quinque florenis valeat" (*Jus can.*, lib. III, tit. 23, n. 29).

Ad vitandas confusiones, quae oriri possunt ex hac terminorum diversa acceptione et ad illam divisionem complendam, visa est mihi proponi posse divisio in:

- 1) Mutationem valoris intrinseci seu materialis;
- 2) Mutationem valoris commercialis seu realis.
- 3) Mutationem valoris extrinseci seu nominalis.

In definienda mutatione valoris intrinseci et extrinseci non immoramur sed nostras facimus definitiones a REIFFENSTUEL traditas et supra relatas. Mutationem vero valoris realis dari dicere possumus, quando ex phaenomeno sic dictae "inflationis et deflationis" monetae chartaceae jam non amplius respondet moneta aurea; ejusque valor realis sive acquisitivus imminuitur, v. gr., quod prius emebatur decem libellis postea aestimatur 1.000 libellarum.

Auctores classici mutationem valoris commercialis alii in mutatione intrinseca alii in extrinseca amplectuntur; antiquiores vero de ea non loquuntur, cum tunc temporis monetae essent ex metallo et non esset locus phaenomeno sic dictae inflationis et deflationis.

9. Accurate inspiciendus est etiam tenor contractus, praesertim cum adfuit mutatio valoris pecuniae, ad determinandum utrum in mutuo dando conventum est de certa specie et numero monetae solvendo an absque designatione certae speciei, in pactum deducta est certa quantitas, v. gr., 1.000 libellae.

Cum pactum est de certa nummorum specie ac numero reddendo, omnes auctores, prementes vestigiis juris romani (cfr. D. 46, 3, 99; 13, 3, 1; 18, 1, 1), una voce asserunt "illam speciem et numerum in solutione exhibendum—ut ait SCHMALZGRÜBER—, qui pro solutione in pactum deductus est, sive deinde auctus, sive deminutus sit valor illius monetae"

(*Jus ecclesias.*, pars IV, tit. 39, n. 17). Cfr. quoque REIFFENSTUEL, *Jus can.*, lib. III, tit. 23, n. 32; FERRARIS, *Biblioteca can.*, vox *Moneta*, n. 18. Ratio est, ut addunt hi auctores, quia “contractus ex conventionem legem accipere dignoscuntur” (Reg. 85 juris in VI); “nec aliud pro alio creditori invito solvi potest”.

10. Omnes quoque auctores, sequentes iterum Jus romanum (arg. ex D. 30, 71, 3), quasdam exceptiones huic normae apponunt. “Excipiuntur —ait SCHMALZGRÜBER—I.”) si moneta in obligatione deducta, omnino periit, aut publica auctoritate est reprobata; tunc enim debitor creditori solutionem in alia pecunia probata *ejusdem aestimationis* exhibere non solum potest sed etiam debet...” (l. c., n. 18). Fere iisdem verbis REIFFENSTUEL refert: “Casu quo tamen species pecuniae in pactum deductae omnino periisset, aut reprobata esset, aut alia ratione haberi non posset, tunc solutio fieri potest in alia moneta *ejusdem aestimationis*” (l. c., n. 34). Idem FERRARIS ait: “... si qualitas promissa, seu conventa moneta non reperitur vel id totaliter perierit, seu publice fuerit prohibita, quo casu solutio fieri potest et debet per *aliam aequivalentem*” (l. c., n. 20). In Jure romano admittebatur etiam solutio in alia pecunia, quando nummi quibus facienda esset solutio ita rari devenerint ut vix inveniantur, vel ita pretiosi ut admodum grave debitori sit illos sibi procurare; vel quando revera demonstrabatur nihil nunc interesse creditoris an hac vel illa (recepta) classe nummorum solutio fiat. Semper vero exigebatur ut pecunia reddita aequivaleret monetae acceptae.

11. Sed quanam quantitas novae pecuniae creditori debebitur? Quid sibi volunt illa verba auctorum: “*ejusdem aestimationis*”, “*per aliam aequivalentem*”? Ad determinandam aestimationem inspiciendum est tempus contractus an tempus solutionis?

Absque dubio ex studio rationum ab his auctoribus allatarum concludimus illam summam monetae novae reddendam esse mutuanti, quae sufficiat ut hic summam pecuniae antiquae mutuo datam emere queat. Propterea, si moneta mutuo data est metallica, v. gr., aurea ac restitutio fiat in moneta nova chartacea, restituenda est summa pecuniae chartaceae, quae sufficiat ad emendam auri quantitatem mutuo acceptam; si autem moneta mutuo data est chartacea, inspiciendum est tum tempus contractus tum tempus solutionis. Tempus contractus ut statuatur valor aureus vel realis seu acquisitivus veteris monetae chartaceae et tempus solutionis ut determinetur valor aureus vel acquisitivus actualis monetae chartaceae atque restituenda est illa summa actualis monetae chartaceae, quae suffi-

ciat ad emendam illam quantitatem auri, quae emeretur cum moneta veteri mutuo accepta. Exemplo rem illustro. Si Titius anno 1938 mutuo accepit 100 libellas chartaceas cum pacto restituendi anno 1949 100 libellas *eiusdem valoris realis*, Titius nequit huic obligationi satisfacere restituendo tantum 100 libellas depreciatas actuales; sed restituere debet tot libellas quot aequipolleant valori commerciali sive reali centum libellarum antiquarum. (Cfr. Decis. S. R. R. coram Manucci, t. XXIII, pag. 166, n. 4, et aliam coram eodem, t. XXII, pag. 124, n. 13).

Prae oculis ea, quae supra diximus, referri tantum ad casum, in quo conventum est de certa specie ac numero nummorum, quibus facienda est solutio eaque aptari quibuscumque mutationibus valoris intrinseci, nempe, commerciali ac extrinseci. Restituendum est quantum pacto conventum est, attento valore pecuniae sive tempore contractus sive tempore solutionis quia mutatio cedit commodo vel incommodo creditoris, ut tenent omnes auctores. (Cfr. FERRARIS, l. c., n. 18; REIFFENSTUEL, l. c., n. 32; LAYMANN, lib. III, trac. III, part. I, cap. 1, n. 12; SCHMALZGRÜBER, l. c., n. 16 et 17.)

12. Auctores vero in duas abeunt sententias loquentes de modo restitutionis, quando non adest pactum de certa specie et numero nummorum restituendo, sed "absque designatione certae speciei... in pactum deducta est certa quantitas pecuniae v. gr. 100 florenos et postea valor monetae *extrinsecus* est mutatus". (SCHMALZGRÜBER, l. c., n. 21.) Alii enim tenent deminutionem vel augmentum in *creditoris* detrimentum aut commodum cedere; alii vero sustinent lucrum vel damnum pertinere ad *debitorem*.

Antiquorum autem asserta in hac re cum mica salis sunt accipienda, cum:

a) ipsi loquantur de mutato valore extrinseco pecuniae; nostra vero aetate crebrius agatur de mutatione valoris realis seu commercialis, eodem manente valore extrinseco;

b) mutuum non habeat plane eundem sensum significationemque in oeconomia actuali ac habebat tunc temporis. Qui mutuo dabat illa aetate suam pecuniam hoc faciebat animo beneficiendi. Mutuans non poterat licite aliquid supra sortem exigere ne quidem ut debitum amicitiae et gratitudinis, quia hoc erat usura, quae prohibita erat. (Cfr. FERRARIS, *Biblioteca can.*, vox *Mutuum*, nn. 24 ss.)

Nunc autem ex mutatis adjunctis oeconomicis, pecuniam fructiferam dicere possumus. Tum ille, qui mutuum accipit, tum ille, qui mutuo dat suam pecuniam, intentione lucrum accipiendi ex hoc, illud faciunt. Lucro,

qui accepturus est mutuarius ex pecunia mutuata, correspondet foenus ex parte mutantis. Mutuans igitur persuasum habet *pro se* modum aptiorum fructiferam reddendi suam pecuniam esse illam mutuo dare. Postea, si ex sic dicta inflatione superveniente accidit ut valor realis monetae valde imminuatur atque ex hoc ipsi detrimentum oriatur, dicendum erit ipsi fortunam non arrisisse, ipsum se fefellisse in eligendo modo fructiferam reddendi suam pecuniam; detrimentum igitur ortum ex deminuto valore reali monetae ipse solus sc. *creditor* portabit et ipsi tantum restituenda erit quantitas pecuniae mutuo datae, quamvis reapse ejus valor realis sit multo minor. Itaque statuit Codex gallicus in art. 1895: "L'obligation qui résulte d'un prêt en argent, n'est toujours que la somme *numerique* énoncée au contrat. S'il y a eu augmentation ou diminution d'espèces avant l'époque de payment, le débiteur doit rendre la *somme numerique* prêtée et ne doit rendre que cette somme dans les espèces ayant cours au moment du payment."

Juvat quoque afferre verba clarissimi MESSINEO, quae sic se habent: "Per il principio nominalistico l'ammontare dell'obbligazione pecuniaria resta invariabile, anche se, per caso, varii (diminuisca o aumenti) il valore intrinseco (e, quindi, il potere d'acquisto—ideoque quem nos appellamus realem sive commercialem—) della moneta, poichè questa é presa in considerazione per il valore *nominale* (caso del c. d. debito di valuta)" (*Manuale di diritto civile e commerciale*, vol. II [Milano 1947], pág. 344).

Summis labiis delibata hac quaestione, de qua plura dicere oporteret, redeamus ad priorem casum, scil. quando conventum est de numerorum certa specie et numero reddendo, qui plene nostrae causae aptatur, et in qua plura et haud facile solvenda remanent.

13. Diximus tantum esse restituendum in priore casu in moneta recenti quantum necessarium sit ad habendam hac moneta summam pecuniae antiquae. Sed accidere potest ut auctoritas civilis simul ac statuit debita solvenda esse in nova pecunia statuatur auctoritative relationem hujus monetae cum veteri, i. e., dicat unamquamque, ex monetis praecedentibus aequipollere v. gr. 100 monetis actualibus. Quid in casu: potestne mutuarius, qui pactum iniit de restituenda certa specie numerorum reddere juxta pretium ab auctoritate civile statutum, quamvis moneta hoc pacto soluta non sufficiat ad pecuniae veteris summam acquirendam? Potestne auctoritas civilis propter bonum commune edere decretum in quo determinata solutio absolute praescribatur infirmando pacta illi contraria, etiam praecedentia?

VERMEERSCH aliquatenus tangit hanc quaestionem, cum scribit: "... promulgatae sunt leges... quibus definitur id quod supplendum vel solvendum sit a debitoribus pro debitis infra certa temporis intervalla contractis... Jam vero tum intentio legis, tum ejus vis pro conscientia controvertuntur... Quoad vim et efficaciam legum, alii negant a legislatore valide debitores a solida solutione dispensari posse, quod alii fieri potuisse contendunt; alii leges et jure et facto bonas esse praedicant, dum alii, admissio legis principio, statuta fuisse omnino felicia dubitant" (*Theol. mor.*, II, ed. 3, n. 402). Unde juxta VERMEERSCH non est una opinio auctorum circa vim et efficaciam harum legum. Attentius autem considerando rem ac distinguendo inter leges, quae *principaliter* dantur propter bonum commune et illas, quae *secundario* tantum hoc quaerunt, auctores in unam sententiam duci posse mihi videtur.

14. Non inveni auctorem, quae nostram quaestionem ita arcte consideratam illustret sed ea, quae habent, cum de juramento loquuntur, optime nostro casui aptari possunt. En illa, quae refert REIFFENSTUEL: "Si lex civilis *principaliter* fundetur super bono publico, tunc juramentum de praestando actu per illam prohibito non obligat... Quinimmo juramentum quod *principaliter* militat contra bonum commune, si servetur, vergit in dispendium salutis aeternae, hoc ipso quod sit contra jus alterius, sive communitatis..." (*Jus can.*, lib. II, tit. 24, n. 90). Idem omnes auctores affirmant. (Cfr. SANCHEZ, *Opera moralia in Dec. praecepta*, cap. IX, nn. 34 ss.) Ergo a fortiori *pactum* quod *principaliter* sit contra bonum publicum infirmari poterit ab auctoritate civili. Haec autem satius patebunt ex dicendis.

15. In Jurisprudencia ecclesiastica non prostant plures decisiones, quae nostram rem attingant. Adest Decisio S. Romanae Rotae coram Manucci, cum agitur de lege germanica diei 16 julii 1925 circa marci revalorizationem, in qua haec legimus: "Verum, cum lex lata sit profecto ob bonum commune, praesumptio stat pro Superiore, non ultra exigentias boni communis privatum jus coarctatum fuisse et certum in specie est, *posse* ob gravissimas rationes, ad bonum commune attinentes, supremos civitatis magistratus, secundum aequitatis rationem *decreto decernere solutiones tali modo* faciendas esse, ut neque debitores immodicum lucrum retineant neque creditores magnum damnum capiant" (Dec. S. R. Rotae, XXXIII, n. 5, pag. 166).

Quae decisio stricte loquendo non contemplatur casum, in quo initum est *pactum* de debito solvendo in certa specie et numero nummorum

sed agitur de solutione debiti contracti absque determinatione speciei pecuniae; sed, cum nullam limitationem ponat suo principio "posse decreto decernere solutiones tali modo faciendas esse" ac ob bonum publicum jus privatum coarctari, concludi juxta ipsam liquet auctoritatem civilem pacta legi contraria infirmare posse.

Tandem S. R. Rota in causa Avella diei 5 julii 1850 haec refert: "Neque satis esse, ut ejusmodi moneta a lege acceperit coactivam circulationem (curso forzoso), ut per eam satisfieri possit ei inuito pacto; sed necessarium fuisse lex in jubenda coactiva circulatione vim pacti penitus deleverit; quod si lex non fecerit, solutionem faciendam esse in identica specie promissa..." (Cfr. A. S. S., VII, p. 233.) Unde si lex non infirmat pacta peculiariora, haec sunt servanda; si lex deleverit vim pacti ei contrarii (unde potest), non amplius urgent illae peculiares conventiones.

16. S. Poenitentiaria quaesita: "An simplex conditio adjecta in chirographo de restitutione non aliter facienda, quam in sonante pecunia, vim suam amittat etiam in foro conscientiae per subsequentem legem civilem eam irritantem" respondit die 21 januarii 1873: "*Regulariter affirmative*, nisi peculiares obstent circumstantiae, super quibus recurrendum erit in casibus particularibus..." (A. S. S., VII, 211) et in "Ex quibus colliges" additur ratio, nempe, "Justum enim est, ut ob bonum publicum societatis, quoties exigat, per civilem auctoritatem derogetur juribus privatorum". Nam, ut ait WERNZ-VIDAL, "Duplex... distinguitur justum; unum est *naturale*, quod est rectum secundum naturalem rationem et numquam deficit, si ratio non erret; alterum est justum *legale*, quod lege humana constituitur et in particulari deficere potest, licet in universali justum sit. Neque propterea dicitur lex iniusta; haec enim necessario debet esse universalis, defectus autem aliunde provenit."

Quibus omnibus et postea dicendis bene perpensis concludere licet auctoritatem civilem *posse* propter bonum publicum decernere tali modo faciendas esse solutiones pactaque ipsius legi contraria irrita manere, si id expresse in ea promulganda edicat easque in conscientia tenere.

17. In praxi autem ad dicendum utrum haec lex determinatum pactum infirmarit necne plura alia praeter legis justitiam, necessitatem et aequitatem, sunt perpendenda.

In primis considerandum est utrum lex *principaliter, directe et immediate* bonum publicum intendat vel potius privatis beneficium concedere velit. Nam, ut ait REIFFENSTUEL, in textu supra citato: "Si, lex civilis *principaliter* fundetur super bono publico, tunc juramentum (sive pactum,

addere potes) de praestando actu per illam prohibito non obligat...”, sed subjungit: “Quando lex civilis *principaliter* fundatur super *favore privati*, licet *secundario et per consequentiam* respiciat etiam publicam utilitatem, tunc juramentum (sive pactum) *valet* atque *obligat* jurantem” (l. c., n. 93) et addit “... quia enim *pactum*, per quod tollitur *jus privati sibi ab auctoritate concessum valet...*” (l. c., n. 98).

ABBAS quoque ait: “Juramentum praestitum super actu, a lege infirmato, *principaliter favore jurantis*, licet *secundario in favorem publicum*, necessario est observandum” (*Commen. in II partem lib. II Decretalium*, cap. 28, n. 1). Prae oculis habe haec statuere ABBAS, cum loquitur de renuntiatione mulieris ad dotem, juramento firmata, quae intime connexa est cum bono publico.

Ex quibus omnibus quanti intersit utrum lex principaliter respiciat bonum commune vel privatorum luce meridiana clarius apparet. Atque, quamvis supra relata directe et per se dicantur de juramento, mihi videtur optime aptari posse pacto, cum juramentum et pactum saepe hi auctores in his textibus conjunctim adhibeant, agatur de juramento promissorio, quod sequitur naturam pacti sive promissionis, quam firmat, ita ut nullitatem promissionis sequatur nullitas juramenti et fundamentum illorum assertorum sit quemquam *posse renuntiare* favori a lege imposito principaliter propter bonum privatorum ac secundario ob bonum publicum ita ut ejus transgressio tantum secundario laedat bonum commune.

18. Ad eandem conclusionem pervenire possumus ex iis, quae asserunt auctores, cum loquuntur de praescriptione. En ea quae refert CASTRO PALAO: “Hinc dubium est an praescriptioni renuntiari possit. Negat Bart... Ducuntur quia juri publico derogare nemo potest; at praescriptio inducta est propter *bonum publicum principaliter...* ergo. Sed contrarium merito docuit Duno... Quorum fundamentum illud est, quia *ea renuntiari possunt, quae primo spectant privatorum commodum et secundario bonum publicum...* Sicuti *quaelibet alia lex, quae bonum privatatum spectat, renuntiari potest, tametsi respiciat simul bonum publicum*” (*Opera moralia*, pars VII, *De just. et jure*, dis. unica, punctum 22, § 1, n. 6).

Ut conclusionem igitur communiter acceptatam possumus habere auctoritatem civilem propter bonum publicum *posse* derogare pacti privatorum sed hos *posse* renuntiare favori a lege concessio, dummodo illa data non sit *principaliter* propter bonum publicum, et pacta legi contraria observanda esse, dummodo non *directe et immediate* laedat bonum publicum earum

observantia, *quamvis* *secundario* et per *consequentiam* laedat illa bonum commune, ut omnis transgressio legis legitimae.

19. Hinc apparet quoque momentum considerandi tenorem pacti utrum sit simplex pactum an in ipso renuntietur favori, quem contrahentibus lex concedere potest. Nam in hoc casu debitor praevidit incommoda, quae ipsi obvenire possunt ex illa renuntiatione sed ex alia parte considerat commoda, quae ipsi obveniunt ex accepta illa nummorum specie atque, omnibus perpensis, mavult propter haec commoda praesentia renuntiare favori quem lex ipsi concedere potest.

20. In Jurisprudencia Tribunalium S. Sedis praesertim nostra interest sententia supra relata S. Poenitentiariae. Ita convenit nostro casui ille, de quo agit S. Poenitentiaria, ut operis pretium sit integre illam referre.

Legimus:

“Titius anno 1860, cum nondum Gubernium hac in Longobardica Provincia papyraceae pecuniae coactivum usum dedisset, per syngropham foeneratus est Sempronio centum et viginti aureos, vulgo nuncupatos marengi, his conditionibus datis et acceptatis, quae italice sonant:

“Il capitale dovrà essere restituito nelle effettive specialità di 120 effettivi pezzi da 20 franchi, di giusto peso e titolo, escluso ogni altro surrogato al denaro sonante, cioè effetti pubblici commerciabili di ogni maniera, cedule di banco, carta moneta qualsiasi, ed ogni altro rappresentativo di denaro, comunque fosse altrimenti stabilito per la legge rinunciando fin d'ora il debitore alla facoltà che dalla legge gli venisse concessa.

Se in ogni caso, anche in onta al patto così espresso, venisse il debitore autorizzato dalla legge, a pagare con rappresentativi di denaro, e fosse per ciò il creditore obbligato alla corrispondente accettazione, lo stesso debitore si obbliga di corrispondere l'importo di detta somma, non già al valore nominale, ma in quantità che sia sufficiente, mediante il cambio in commercio, a realizzare la preaccennata somma di effettivi di 120 pezzi di 20 franchi, ed ogni relativo interesse, questo pure in valuta sonante.”

“His pactis, eorundem ad tramitem usque ad hunc diem Sempronius foenus dedit, sed nunc ad reddendam dictam sortem a Titio compulsus detrectat stare conventis; scilicet, neque vult auream solvere pecuniam, neque super papyraceam addere quantum in praesens requiritur ut aureae, juxta differentiam, vulgo *aggio*, aequiparetur, hanc in medium rationem afferens, quod lex civilis decernendo chartaceam pecuniam pro metallica ab omnibus accipiendam, declaravit insuper irritum omne pactum antecedens de restitutione summae capitalis et solutione foeneris in metallicis et non in chartaceis nummis facienda. En articulum legis latae Florentiae 1 maji 1860 ad rem de qua agitur:

“Art. 3. I biglietti della Banca saranno dati e ricevuti come denaro contante per il loro valore nominale dei pagamenti effettuabili nello Stato tanto tra l'Erario pubblico ed i privati, Società e corpi morali d'ogni natura, per qualsiasi titolo ed anche in conto o saldo de tributi o prestiti, quanto tra privati e Società o Corpi morali d'ogni natura tra loro vicendevolmente, non obstante qualunque contraria di legge o *patto convenzionale*.”

“Ad animarum directionem quaeritur igitur:

I. An simplex conditio adjecta in chirographo de restitutione non aliter facienda, quam in sonante pecunia, vim suam amittat etiam in foro conscientiae per subsequentem legem civilem illam irritantem. Et quatenus affirmative:

II. An Sempronius hoc in casu, id est per speciales condiciones ut supra stipulatas tuto possit se etiam in foro interno conformare huic perutili legi civili, quando haec, etiam his adjunctis, in foro externo illi suffragetur.

Sacra Poenitentiaria, mature consideratis propositis dubiis, respondet:

Ad primum, regulariter affirmative, nisi peculiare obstant circumstantiae, super quibus recurrendum erit in casibus particularibus, iisdem diligenter expositis.

Ad secundum, attenta qualitate pactorum, necnon attento tenore legis, de qua in casu *negative*.

Datum Romae in S. Poenitentiaria, die 21 januarii 1873.”

21. Audias quoque quaedam quae adduntur in “Ex quibus colliges”: “III. Quamvis autem lex civilis nulla reddere *possit* ejusmodi pacta ob bonum publicum, non tamen sequi videtur, solutum esse debitorem a compensatione facienda creditori in eo quod minus reapse daret per solutionem pecuniae genere vilioris ab ea quae pacto fuerat conventa, si privata justitia contractus, cui pactum adjectum est, id exigat et *justitia publica per hanc compensationem non laedatur*.”

V. Ut tamen pacta, de quibus agimus, abrogata per legem civilem dici possint, necessarium esse, ut sub legis verbis ostendantur comprehensa: neque enim sufficit ut lex universim cogat chartaceam monetam recipere, si non expresse pactis quoque deroget.

VI. Immo nec sufficit si *genericis verbis* lex pacta abroget; pacta possident quousque non demonstrantur sub lege comprehensa.”

22. Nec praetermitti potest responsio data a S. Congregatione Universalis Inquisitionis de re nostra. Casus apud illam die 20 aprilis 1876 solutus, sic a D'ANGELIS, refertur:

“Ast nostris diebus quaestio haec implicatior evasit, propterea quod a Guberniis civilibus, et praesertim a Gubernio Italico usque adhuc proposita est moneta papyracea, ejusque receptio facta est obli-

gatoria, atque in lege praescriptum est, ut ipsa recipiatur pro suo valore nominali prout quaevis pecunia, non obstante quavis contraria dispositione legis, aut pacto conventionali... Disputantibus ex utraque parte theologis et canonistis, quaestio delata ad S. C. Universalis Inquisitionis in genere non fuit resoluta, immo dilata pro ulteriore examine, tamen ad instantiam Episcopi Veronensis pro dubio: an privata pacta in hac re amittant suam vim per subsequentem legem civilem ea irritantem, respondit sub die 20 aprilis 1876 ad casum: "Mutuatarium, qui aureos nummos vulgo marenghi accepit, et solutionem sortis et fructuum promisit in eadem monetae specie, sin minus additamentum differentiae, quod vulgo *aggio*, inter conventam pecuniam illamque papyraceam, tuta conscientia solvere nos posse creditori rationabiliter invito monetam chartaceam depreliatam pro valore nominali" (*Praelectiones Juris can.*, II, pag. 362).

Nullam invenimus sententiam adversam. Itaque ex Jurisprudencia liquet *posse* auctoritates civiles infirmare pacta privatorum; ut autem *de facto* hoc eveniat *principaliter* ob bonum commune illam legem edidisse ac *expressis ac specificis verbis* peculiaria pacta contraria attingere constare debet.

23. Nec dicatur ex dictis tantum demonstrari obligationem in conscientia, in foro, nempe, interno; in foro autem externo juxta leges civiles esse judicandum ex canone 1529. Nam in re nostra, cum ex supra dictis leges civiles non infirmant pactum, adest verum jus strictum; quod deest est actio civilis. Jam vero optime actio ecclesiastica concedi potest, quamvis denegetur actio coram Tribunali civili, cum adsit jus strictum.

Praeterea inverosimile apparet quod Tribunal S. Sedis talem incongruentiam inter unum forum et alium foveat ut sententia judicis aperte iniqua et juri naturali contraria sit.

Insuper in can. 1529 dicitur: "Quae jus civile in territorio statuit de contractibus... et solutionibus eadem jure canonico in materia ecclesiastica *iisdem cum effectibus* serventur, nisi *juri divino* sint contraria." Juxta omnes auctores in jure divino subintelligitur quoque jus naturale. Nunc autem ipsa lex in se justa dici potest sed effectus ejusdem applicationis pugnant aperte cum jure naturali, cum esset dari a Tribunali ecclesiastico titulum, quo peccatum adversus justitiam tutius patrari possit.

Denique Tribunalia ecclesiastica judicari debent aequitate canonica servata, juxta L. 90 D. de R. J. I. 17., ubi legitur: "In omnibus quidem, maxime tamen in jure aequitas spectanda est."

I N F A C T O

24. Praetermissis quaestionibus, quae oriuntur ex eo, quod contractus regi debeat jure orientali ac pars conventa sit Superior, cum sint peculiaris et non maximi momenti pro nostra re, operam navare oportet quaestioni principali, quae momentum generalius sive communius habet.

Prae oculis habendo illa, quae *in jure* exposuimus, haec dicenda videntur:

a) Tempore medio mutui dationem inter ac solutionem, pecuniam mutationem extrinsecam, nisam mutatione valoris realis ex sic dicta inflatione subiisse ac monetam chartaceam coactivam circulationem acquisisse.

b) Conventum fuisse de certa nummorum specie ac numero reddendo, scilicet, 400 nummos turcicos aureos, quibus addi debet foenus (5 %).

c) Legitimam et justam dicendam dispositionem sic dicti Alti Commissariatus Galliae de solvendis debitis, in quibus adest clausula de solutione in auro facienda.

d) Illam vero editam fuisse *principaliter in favorem debitorum, indirecte seu secundario ob bonum commune*. Nam:

a') Decretum post allatas diversas rationes, quae omnes ad debitores sese referunt, haec habet: "C'est cet état de choses, nettement *defavorable aux débiteurs*, qui a obligué le législateur à intervenir à un moment où la situation était encore *moins désavantageuse pour les débiteurs...* Au moins qu'il n'en soit *plus favorablement disposé au profit de débiteurs par des textes législatives...*" Legem igitur editam esse in favorem debitorum *principaliter* luce meridiana clarius apparet ex ipso tenore legis ejusque finem fuisse ne debitor "*supporte seul tout le poids de la dévaluation*", ut ipsa lex ait.

b') Publicae auctoritates cambium commerciale auri haud prohibuerunt, ita ut sint mensae nummulariae, quae hoc cambium faciant in oppositione ad cambium legale et quidem publice.

c') Libellae aureae turcicae legalem cursum retinent iisdemque cives in rebus venalibus emendis vel vendendis utuntur.

Quod quidem constat diversis documentis et testimoniis, quae in actis prostant. In epistula Exc.mi Delegati Apostolici diei 11 februarii 1944 et in documentis ei allegatis dicitur, consentientibus quatuor Episcopis ex Libano et Syria, omnia Instituta catholica in pecunia aurea sua debita solvere, etiam post decretum civile diei 26 januarii 1940.

Archiepiscopus Z. Z. asserit quoque *societates commerciales*, non obstante civili decreto, solere sua debita in pecunia aurea solvere; omnes enim persuasum habent: "que tout Institution juste et honnête ne pouvait en (decreto) profiter pour realiser un gain inattendu au détriment de ses creanciers".

Nec praetermittere possumus ea, quae testatur Archiepiscopus N. N. hoc pacto: "Il est exacte que les Wakfs Catholiques... paient en or les dettes quelles avaient contracté en or avant le premier arrêté du Haut-Commissariat... Et ceci conformément à une decision prise à l'unanimité par le Conseil des Archevêques catholiques..."

Ex quibus omnibus satis superque constat in illa regione conditionem rerum sub hoc aspectu esse toto coelo diversam a statu rerum oeconomicarum in aliis nationibus v. gr. Hispania, ubi severissime est prohibitum commercium liberum in moneta aurea. In his nationibus decreta, quae prohibent contractus in nummis aureis, *principaliter* propter bonum publicum edita fuisse dicenda sunt eorumque violatores *directe et immediate* bonum publicum laedunt. Quod quidem nullimode evenit in Libano et Syria, ubi venales prostant monetae aureae eorumque circulatio minime est prohibita ab auctoritate civili. Haec tantum voluit concedere favorem debitoribus.

e) Attento tenore pacti, hoc non esse simplicem conventionem de restituendis 400 nummis aureis turcicis eorumque foenus sed continere veram renuntiationem favori, quem lex ipsi concedere poterat in futurum. En ipsius verba: "je m'engage a payer... en or comme il m'a été payé et *quels que puissent être les arrêts du Gouvernement* concernant l'or".

Jam vero nemo est qui dicat quemlibet civem non posse valedicere favoribus, quos futura dispositio Gubernii in relationibus commercialibus ipsi concedet. Verum est quemlibet privatum non posse renuntiare privilegio concesso communitati qua tali, cujus membrum est, v. gr., clericus nequit valedicere privilegio fori sed nemo unquam dubitabit privatum favoribus a lege ipsi concessis renuntiare posse. In hac autem secunda hypothesisi versamur.

f) Superiorem, si non ad eos restituendos cogeretur, injuste locupetari cum jactura creditoris. Nam non tantum auri pretium crevit sed pari gressu in casu inflationis crescit valor rerum immobilium, quae retinuit Superior conventus N. N. ex eo quod Z. Z. ipsi aurum in mutuo dedit; ex alia vero parte Z. Z. injuriam pateretur, cum ipse illam auri summam absque legis violatione vendere posset. Jam vero jus naturale nobis

tradit regulam, legibus romanis ac sacris canonibus firmatam: locupetari quis non debet cum alterius injuria vel jactura.

g) Aequitatem pro Z. Z. laborare. Nam debitum solvi debebat anno 1938! ideoque ante promulgationem decreti. Creditor *benigne* annuens instantiis debitoris et prae oculis habens agi de benefaciendo domui religiosae prorogationem admisisse.

h) Legem *genericis* verbis uti: "les engagements contractés antérieurement"; pactum e contra esse valde peculiare ideoque non demonstrari absque dubio illud pactum sub lege comprehensum.

Attento igitur tenore et legis et pacti, prae oculis habitis omnibus adjunctis ac aequitate canonica servata, debitorem teneri pacto censemus.

25. Quibus omnibus *in jure et in facto* perpensis, dicendum opinamur: a) Tradendam esse a Superiore conventus N. N.; b) saltem in moneta syriaca; c) pecuniae summam, quae sufficiat ad emendos 480 nummos aureos turcicos; d) titulo sortis, mutuo acceptae ejusque faenoris usque ad annum 1942, in quo est incepta lis.

IOSEPHUS DE SALAZAR ET ABRISQUIETA

P r e s b y t e r